

homo rectè agnosceret, rectè etiam se erga utrumq; geret. Quapropter D. Augustinus quotidie precari solitus est: **MI DEUS**, largire mihi, & tui & mei ipsius veram agnitionem, &c. Quid autem nobis sentiendum sit, & de Deo & nobis ipsis, docet Christus in hac parabolâ: Nos esse debitores **DEI**, nec esse solvendo, Deum vero solutionem debiti à nobis quidem exigere: verum cum ipsius misericordiam imploramus, misericordia nostri affici, illudq; nobis gratis condonare, hac autem conditione, ut & proximo nostro illud, quod nobis debet, remittamus, affirmat. Quapropter summo studio hoc Evang: perpendentes.

- I. *Ex illo audiamus, nos omnes esse debitores DEI, debitumq; non posse solvere.*
- II. *Quomodo nos gerere debeamus, ut aeternum carcerem effugiamus, misericordiamq; consequamur.*
- III. *Quid nobis misericordiam consecutis faciendum sit, ne denuò iram Dei incidamus.*

DE